



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vitis Aqvilonia seu Vitæ Sanctorvm Qvi Scandinaviam
Magnam Arctoi Orbis Peninsvlam Ac præsertim Regna
Gothorum Sueonumq[ue] olim rebus gestis illustrarunt**

Vastovius, Johannes

Coloniæ Agrippinæ, Anno M.DC.XXIII.

Ioannes II. Archiepiscopus Vps. C.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38534

IOANNES II. ARCHIEPI-
SCOPVS VPSALEN. FLO-
RVIT ANNO CHRISTI 1291.

NICOLAO IV. Pontifice.

ADOLPHO Rege Roman.

BIRGERO II. Rege.



IOANNES è Polonia oriundus, & ab adolescentia sua iugo Diuinæ legis assuetus, ita sacræ scripturæ documentis, suum præbuit auditum, vt non solum auditor sed etiam diligentissimus obseruator, effectus Ord. D. Dominici nuper à sede Apostolica confirmato iamq; tū florenti selemancipauit, eiusque propagandi causa à D. Hiacinto item Polono in Sueciam missus fuerit; Anno Salutis 1233. quo in negotio felicissimos fecit progressus. Iarlerum enim Archiepiscopum Vpsalensem, facile induxit vt Monasterium amplissimum Prædicatorum ordini in Oppido Sigtunæ extrueretur, loco ad quietem opportuno; vbi Ioannes nō paucos vitæ monasticæ alumnos collegit, & vndeque virtutum radios sparsit deditque suauitatem odoris, donec ceu lucerna ardens ad Alboensem sublimaretur Episcopatum cogeretorque monasticam illam & suauissimam libertatem cum Pontificia sollicitudine permutare: Sed & hæc tantis viri virtutibus longe angustiora septa sunt visa. Erat enim non solum eruditione ac religione, verum etiam rerū gerendarum experientia conspicuus. Quare ab Ecclesia Aboensi ad Archiepiscopatum Vpsalensem, tum Archipræfulis solatio destitutum, concordibus Canonico- rum Vpsalensium votis postulatus, & à Nicolao Papa IV. Pontifice curæ pastorali inuigilans, multisque pro honore Dei & salute gregis sibi crediti laboribus, superatis in Terris Franciæ, Anagninæ pallium Archiepiscopale à suprascripto Pontifice petiturus diem clausit extremum, 8. Septembris Anno 1291. Relatum est corpus eius ex Francia in Sueciam & in Monasterio Sigtunensi vbi olim contemplatiuæ vitæ dulcedine perfruebatur non sine miraculorum editione tumulatum.

Ioannes Archiepiscopus natione Polonus.

Professione Dominicanus.

A Dno Hyacinto in Sueciam directus.

Sigtunenſe cœnobium Ord. S. Dominici erigitur.

Ioannes è Cœnobita fit Episcopus Aboensis.

Deinde Archiepiscopus Vpsalensis.

Moritur Anagnina.

De eo Chron. Ord. Præd. Ioan. Mag. lib. 18. Hist. Goth. cap. 18. & in sua Metrop. lib. 1. pag. 17. Baronius Casar Tomo 12. pag. 362.

PETRVS